



XI. 12^h = Q.

(cat. 4, 64 -bs)



Inhalt:

- 1, Besler, Joh. Chp., De interruptis universitatis Erfurtensis primordiis.
Erf. 1783.
- 2, Fratzscher, Hr. Wolffg., Academiam Erfordiensem de Luthero optime meritam
in lucem profert. Coburgi 1751.
- 3, Volbracht, Joh., Lutwin, Min. u. d. Rectores in Univ. zu Erfurt von 1392 bis 1650
ungedruckt. o. B. N. J.
- 4, Apologia univ. Erfordiensis adversus Joh. Volckmar. Beckmannum, qui sect-
us Erfordiae carnificem fuisse universitatis rectorem mentitur. Er-
furti 1672.
- 5, Malaria typographica Erfordiensis P. i. Gedruckt von der Fabel-Druckerei zum
Aubruken der von 300 f. verführerischen Breybrieffen. Druck von 24 Juni 1740
auf d. Univ. Gedruckt beyrugen u. vertrieben. (1740.)



JOHANNES HERRICHT
DE GERSTENBERG

IN VESTRO
HENRICI
CHRISTIANI

CHRISTIANUS

CHRISTIANUS



29.

171

MEMORIA
 VIRI BEATE DEFUNCTI AC GENEROSI,
 DOMINI
**JOHANNIS HENRICI
 DE GERSTENBERG,**

QVAM FUTURO DIE LVNAE,
 SCILICET

XXIX. DECEMBRIS ANNI EXEVTIS MDCCLXXXIII.
 IN AVGVSTINIANO

1783

Dn. JVSTVS CHRISTOPHORVS KRITZ,
SACRARVM LITERARVM CVLTOR,
 ORATIONE LATINE HABENDA
 GRATITVDINIS ERGO, SOLEMNI IN ACTV
 CELEBRABIT.

AD QVEM ACTVM PRAEMISSIS NONNVLLIS

DE
INTERRVPTIS VNIVERSITATIS ERFVRTENSIS
PRIMORDIIS

OMNES ET SINGVLOS
 MAECENATES, PATRONOS, FAVTORES MVSIQVE AMICOS,
VT EVM
 SVA PRAESENTIA SPECTATISSIMA CONDECORARE VELINT, OMNI,
 QVA DECET, OBSERVANTIA ET HVMANITATE

INVITAT

M. JOH. CHRISTOPH. BESLER,
 MINISTERII EVANGELICI SENIOR,
THEOL. A. CONF. PROFESSOR PVBL. ECCLESIAE AD S. MICHAELIS PASTOR,
 ET GYMNASII SENAT. PROT-EPHORVS.


ERFVRTI, TYPIS JOH. CHRIST. GOERLING.

1.

4, 62.







Seculo decimo quarto Civitatem Erfurtensem opibus valde crevisse, quis est, qui dubitet, nisi monumentorum omnium patriae plane ignarus: Eo seculo ditionem suam jam amplam multis novis possessionibus auxerat. Ab Alberto, Landgravio Thuringiae, cognomine degenere, reliquam eam rerum suarum partem, quam adhuc habuit, hac sub conditione accepit, ut ipsum cum suis domesticis ad supremum vitae diem aleret. Propter hanc donationem multa quidem mala ab ejus filio Friderico vi armisque paterna repetente Civitas Erfurtensis est experta; attamen vario Marte solutisque tandem Friderico septuaginta millibus florenorum eam donationem est tuita. Ad Urbem eodem seculo pagus Zimmern-infra ob auxilia deinde Friderico ad bellum cum Comite Schwarzenburgico missa accessit; emit etiam Senatus pagum Udestadium a Rudolpho Waldingo, nobili quodam, nec non Capellendorfium cum duobus vicis ad illud pertinentibus; arces Muhlbergam et Tondorfium, Bechstadium et Werningslebiam a Johanne, Comite Hennebergensi; Zimmern-supra, Pferdingslebiam et Ermstadium ab Abbate Hersfeldensi; Walschlebiam, Elxlebiam et Munstergehofen a Comitibus Gleichensibus; arcem Vippacensem ab Ottone, nobili de Vippaco; Vargulam a Theodorico de Vargula, pincerna Thuringiae.

vid. Io. Maur. Gudeni Hist. Erfurt. Lib. II. et Ioh. Henr. de Falkenstein in Hist. Civ. Erfurt. Lib. III.

Praeter hos pagos quoque nonnullas jurisdictiones, quas alii antea exercuerunt, acquisivit, e. g. Iurisdictionem Nottlebiensem

* 2

a Thi-

a Thilone, nobili de Muhlhausen; Uzbergenfem ab Hansen, nobili de Uzberg; Melchendorfiensfem a Schwanringio, ut ea, quae Civitas Erfurtensis exstruendis aedificiis ac munitionibus, bellisque gerendis impendit, omittam.

Sed ea parva Civitati Erfurtensi videbantur, nisi etiam suos in muros, mufas alliceret. De his Ioh. Hermannus a Soden, olim Antecessor Facultatis iuridicae, Iudicii Assessor et Decanus Collegii Saxonici scite quodam in programmate pronunciavit: Academiae sunt pulcherrima regionum ornamenta, rerumpublicarum fundamenta, religionis propugnacula, consultantium oracula: quippe hic vera colendi ratio et obsequium superioribus praestandum docetur; et quae ad publicam pacem et tranquillitatem conservandam faciunt; hic illa prostat salutaris sapientia, qua imperia, regna, urbes, pagi feliciter administrantur.

Erat ille annus MCCCLXXIX, quo Civitas Erfurtensis sui voti compos facta esse videbatur: eo enim anno a Clemente VII. Pontifice, primo anno Pontificatus, Adolpho I. sedem archiepiscopalem moguntinam tenente sua primordia antiqua universitas Erfurtensis obtinuit, testibus literis et privilegiis Avenione datis apud Motschmannum in Erford. liter. p. 13. seqq. sed haec primordia sunt interrupta et usque ad annum MCCCLXXXIX. dilata.

Causa praecipua hujus interruptionis fuit schisma, quod inter hunc et Urbanum VI. Pontificem intercessit: Mortuo enim Gregorio XI. de creando novo Pontifice Clerus populusque romanus Cardinales adierunt rogantes, ut aliquem ex Italis eligerent, ne si Gallus ad istam dignitatem evheretur, romanae curiae ultra montes migrandum esset, haud cum exiguo Romae detrimento. Quibus Cardinales responderunt: sibi curae fore, ut virum optimum nulla personarum aut nationum ratione habita
fume-

fumerent. Electio ad Gallos inclinabat, qui numero Italos superabant; sed forte evenit, ut inter Lemovicenses et reliquos Gallos discordia oriretur; qua est effectum, ut Bartholomaeum, Barnensem Archiepiscopum, Neapolitanum, extra Collegium Cardinalium, Pontificem crearent, eumque Urbanum VI. appellerent. Cardinales, quorum decem et octo erant, primum Anagniam, deinde Fundos confugerunt, sedem ut vacantem declarantes, faventeque Iohanna, regina Neapolitana, Robertum, Gebennensem Cardinalem, antea in Italia Legatum eligunt, cui nomen Clementis est inditum. Quod igitur Galli ab Urbano impetrare non potuerunt, id facile a Clemente VII. ut sedem suam Avenionem transferret, obtinuerunt. Nunc discordia diem ex die gliscere coepit, parte principum Clementi, parte Urbano adhaerente. Clementem Ludovicus Andegavensis a regibus Francorum originem ducens tuebatur, qui cum triginta millibus militum Italiam est ingressus a Clemente impulsus; speciem quidem prae se ferens ad Reginam Iohannam liberandam se venisse, revera autem, ut Urbanum pontificatu dejiceret. Ad illud usque tempus Clementis autoritas apud Germanos aequae ac Gallos augebatur, unde etiam Civitas Erfurtensis privilegium ab eo petit. Ludovicus, Andegavensis non procul a Bononia confidens, praeter omnem opinionem brevi post temporis intervallo interjecto morte repentina correptus expiravit; et jam aliam res sumebant faciem. Milites mortuo duce consilio destituti bini ternique mendicantes in patriam rediere. Ex eo tempore Clementis autoritas valde minuebatur, e contrario Urbani potestas extollebatur, quam etiam experti sunt nonnulli Cardinalium cum Iohanna, regina Neapolitana.

Legi ista possunt apud Platinam in vita Urbani VI. p. 271 seqq.

Prudentiae igitur erat Senatus Civitatisque Erfurtensis literis et privilegiis Clementis non uti, sed privilegium illud deinde ab Urbano expetere; quod anno MCCCLXXXIX, die III. Maji impetrarunt; quo eodem anno, mense Octobri etiam est mortuus. Sepultus est in Basilica S. Petri, marmoreo in sepulchro. Clemens ei quidem Avenione supervixit; attamen ejus Romani in novo eligendo Pontifice plane nullam habuerunt rationem.

Alteram causam interruptorum horum primordiorum in Adolpho I. Archiepiscopo Moguntino, Comite Nassovio, quaerimus, qui mortuo Johanni, Archiepiscopo anno MCCCLXXIII. successit; at Ludovicus, Episcopus Bambergensis, Landgravius Thuringiae, Marchio Misniae, Frater Friderici, cognomine strenui huius electionem irritam reddere est conatus. Pontifex Romanus, Gregorius XI, antecessor Urbani, Imperator Romanorum et Frater Ludovici Erfurtum ab Adolpho avellere et adungere Ludovico tentaverunt. Quod neque verbis neque armis consequi potuerunt. Johannes Mauritius Gudenus in Historia sua Erfurtensi scripsit: Ludovicum frater ejus, Carolus IV. Imperator armis; Pontifex autem bullis adjuvit, Adolphum eosque, qui cum eo sentirent, anathemati subjiciens. Anno MCCCLXXIV. Ludovicus, Episcopus Legatos suos cum litteris excommunicationis Erfurtum misit, quas valvis templorum affigi iussit. Canonici, Abbates Monasterii Petrini et Scotorum cum Franciscanis Ludovico adhaerentes sacra omiserunt; plerique eorum sese ad alia loca, praeprimis Arnstadium conferebant; at senatus Ludovici conamina impedivit, quo minus literae excommunicationis affigerentur, rationibusque variis prolatis Canonicis S. Severi persuasit, ut sacra modo consueto peragerent. Quo facto haud exiguis malis Erfurtenses sunt affecti, siquidem non solum in itinere afflige-

affigebantur, sed etiam eorum agros et vineas Fridericus vastavit; donec tandem Ludovicus anno MCCCLXXXII. in oppido Kahla saltationi deditus, coorto ex incendio tumultu per gradus decideret, eoque lapsu postridie moreretur. Ab eo quidem tempore Archiepiscopatum suum Adolphus tranquille possedit; attamen nondum plane aulae romanae erat reconciliatus. Tandem anno MCCCLXXXVIII. relicta dignitate sua archiepiscopali Conrado II. est mortuus. Hinc sequenti anno MCCCLXXXIX die III. Maji Universitas Erfurtensum ab Urbano VI. est adepta suam confirmationem. Eodem anno primus solemnis actus instituebatur, cui Rector M. Ludovicus Mollerus, Arnstadiensis, Decretorum Baccalaureus interfuisse fertur. Dignitas Cancellarii hujus Universitatis initio Decano Ecclesiae B. M. V. erat decreta; quo mortuo Archiepiscopo Moguntino est delata. De qua translatione legi possunt Literae Bonifacii IX. Pontificis, cujus literae d. VIII. Julii MCCCXCVI. datae operi colophonem imposuerunt.

vid. Just. Christoph. Motschmanni Erf. litar. Coll. I. pag. 30.

Facile fieri potuisset, ut haec Universitas novam primordiorum interruptionem esset experta. Anno enim MCCCLXXXII. erupit pestis, quae adeo saeviebat, ut coemeteria non amplius corpora humanda caperent; cogebantur igitur ea nonnullis profundis foveis mandare, ne inhumata jacerent, malumque triste altius serperet. Ejusmodi foveam quoque multis hominum corporibus prope templum Monasterii Petri fuisse impletam, testis est quidam lapis.


Primordiis tandem felicissime jactis Universitas Erfurtensum beneficiis fautorum est aucta, magnumque postea incrementum cum Universitate Lipsiensi ex ruina Universitatis Pragensis cepit; quae Universitas haud diu ante Erfurtensem a Carolo IV. Impe-



Imperatore, anno MCCCLXVII. erat condita. Imperator Germanos honoribus, dignitatibus, jure et numero suffragiorum praetulerat Bohemis. Ea res odia peperit et dissidia, ut hospites exagitarentur ab aemulis indigenis; res postea eo est perducta, imprimis opera Johannis Husli, ut omnia in favorem Bohemorum sint mutata. Qua mutatione facta exteri relicta Praga catervatim ad Fridericum Bellicosum, Electorem Saxonum, et Erfurtum advolarunt. Tunc temporis anno MCCCCIX. in eorum gratiam Lipsiensium Universitas est fundata; Erfurtenis autem non modo numero studiosorum, sed etiam nonnullis Collegiis et beneficiis crevit.

conf. Carionis Chronicon. pag. 1156.

Quae ut attingerem me monuit triennium secundum, quo finito ex dispositione beate defuncti et generosi Dn. Johannis Henrici de Gerstenberg, Academiae patriae amantissimi, unus ex quatuor stipendiatis orationem latinam recitare tenetur. Sunt autem illi Dnn. Georgius Henricus Lotze, Godofredus Guilielmus Ehrhardt, Justus Christophorus Kritz et Joh. Christophorus Petri, quorum tertio oratio habenda obtigit. Actus ipse hinc solemniter futuro diei Lunae, nimirum XXIX. Decembris, propter Diem Domini intercedentem, horae decimae in Augustiniano sive Gymnasio Senatorio est destinatus. Ad quem actum condecorandum omnes et singulos viros doctrina et dignitate excellentes, Patrones et Fautores, musisque amicos, Senior Ministerii Evangelici, omni, qua decet, observantia invitat. P. P. Erfurti die XXVII. Decembris, A. S. R. MDCCLXXXIII.



Zb 3343.8^o

Vd 18

ULB Halle
004 841 00X

3



So.


f

Konf D

M.C.







29. M

MEMORIA
VIRI BEATE DEFUNCTI AC GENEROSI,
DOMINI
JOHANNIS HENRICI
DE GERSTENBERG,

QVAM FVTVRO DIE LVNAE,

SCILICET

XXIX. DECEMBRIS ANNI EXEVNTIS MDCCLXXXIII.

IN AVGVSTINIANO

Dn. JVSTVS CHRISTOPHORVS KRITZ,

SACRARVM LITERARVM CVLTOR,

ORATIONE LATINE HABENDA

GRATITVDINIS ERGO, SOLEMNI IN ACTV
CELEBRABIT.

AD QVEM ACTVM PRAEMISSIS NONNVLLIS

DE

INTERRVPTIS VNIVERSITATIS ERFVRTENSIS
PRIMORDIIS

OMNES ET SINGVLOS

MAECENATES, PATRONOS, FAVTORES MVSIQVE AMICOS,

VT EVM

SVA PRAESENTIA SPECTATISSIMA CONDECORARE VELINT, OMNI,
QVA DECET, OBSERVANTIA ET HVMANITATE

INVITAT

M. JOH. CHRISTOPH. BESLER,

MINISTERII EVANGELICI SENIOR,

THEOL. A. CONF. PROFESSOR PVBL. ECCLESIAE AD S. MICHAELIS PASTOR,
ET GYMNASII SENAT. PROT-EPHORVS.

ERFVRTI, TYPIS JOH. CHRIST. GOERLING.

4, 62